ricordie domini incipit expecta-
bat eventum rei quod duarum
fere horarum spacium intercesse-
rat. videt defunctum paulatim
membris omnibus commoveri
et laxatis in usum videndi
palpitare luminibus. Tum
vero magna ad dominum voce
conversus gratias agens cellu-
lam clamore repleverat
Quo audito qui pro foribus as-
stiterant statim irruunt. mirum
expectaculum quod videbant
vivere quem mortuum reli-
quissent. Ita redditus vite
statim baptisma consecutus.
plures postea vixit annos
primusque apud nos martini
virtutum vel materia vel
testimonium fuit. Idem tamen
referre erat solitus se cor-
pore exutum ad tribunal iu-
dicis ductum deputandumque ob-
scuris locis et vulgaribus tur-
bis tristem excepisse sen-
tenciam. Tum per duos an-
gelos iudici fuisse suggestum
hunc esse pro quo martinus
oraret. Ita per eosdem ange-
los se iussum reduci et mar-
tino redditum viteque pristi-
ne restitutum. Ab hoc primo
tempore beati viri nomen
enituit. ut qui sanctus iam ab omnibus
habebatur potens etiam et
vere apostolicus haberetur
Nec multo post dum
agrum lupicini cuiusdam
honorati secundum seculum
viri preteriret. clamore et
luctu turbe plangentis ex-
cipitur. Cumque cum sollicitus
astitisset et quis esset hic fletus
inquireret. indicatur unum e fa-
milia servulum laqueo sibi
vitam extorsisse. Quo cog-
nito cellulam in qua corpus
iacebat ingreditur. Exclusisque
omnibus turbis super stratus
corpori aliquantisper oravit.
Mox vivescente vultu mar-
cescentibus oculis in ora illius
defunctus erigitur lentoque
conamine enisus assurgere
apprehensa beati viri dextra
in pedes constitit. atque ita
cum eo usque ad vestibulum do-
mus turba omni inspectante
processit
Sub eodem fere tempore
martinus ad episcopatum
turonice ecclesie petebatur. Sed
cum erui monasterio suo non
facile posset. ruricius quidam
unus e civibus uxoris langu-
ore simulato ad genua
illius provolutus ut egre-
deretur obtinuit. Ita dispositis

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Kantonsbibliothek, Vadianische Sammlung, VadSlg Ms. 70, f. 225v – Casus Sancti Galli; Vitae sanctorum (http://www.e-codices.ch/en/vad/0070/225v)